Et enim nostrum orientem clare solem in spera illius intendendo ua-
let conspicere, quatenus in eius radiis oculi reuerberantur.
Sed sole inlustratos montes aspicimus; Et quia iam sol ortus est
uidemus. quia ergo solem iustitiae in se ipso uidere non possu-
mus. Inlustratos montes claritate illius uideamus; Sanctos ui-
delicet apostolos qui uirtutibus emicant. miraculis corus-
cant. quos nati solis claritas perfudit. Et cum in se ipso sit in-
uisibilis. per eos nobis quasi per inlustratos montes se uisibilem prebu-
it; Virtus etenim diuinitatis in se quasi sol in caelo est. uirtus
diuinitatis in hominibus sol in terra. Solem ergo iustitiae
intueamur in terra quem uidere non possumus in caelo. ut dum
in offenso pede operis per hunc in terra gradimur. ad intuen-
dum illum quandoque oculos in caelum leuemus; Sed in offen-
so pede iter in terra nostrum agitur. Si deus ac proximus integra
mente diligatur; Nec deus enim uere sine proximo. nec proxi-
mus uere diligitur sine deo. Hinc est quod sicut in alio sermo-
ne iam diximus. isdem spiritus secundo legitur discipulis datus.
prius a domino in terra degente. postmodum a domino caelo presiden-
te. In terra quippe ut diligatur proximus; e caelo uero ut
diligatur deus; Sed cur prius in terra. postmodum e caelo.
nisi quod patenter datur intellegi. quia iuxta iohannis
uocem. qui fratrem suum non diligit quem uidet. deum quem
non uidet quomodo potest diligere; Diligamus ergo prox-
imum fratres amemus eum qui iuxta nos est. ut peruenire ua-
leamus ad amorem illius qui super nos est; Meditetur mens in
proximo quod exhibeat deo. ut perfecte mereatur in deo gaudere
cum proximo; tunc ad illam supernae frequentiae laetitiam
peruenimus. De qua nunc sancti spiritus pignus accepimus; Ad istum
finem toto amore tendamur. in quo sine fine laetabimur;

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0078